

XLVII. Et similiter loquendum est in istis: Homo, vel Christus factus est Filius Dei, et Christus prædestinatus est Filius Dei, si prima esset vera, a fortiori secunda vera esset; si tamen prima est falsa, non sequitur quod secunda sit falsa, ex eo quo ponit factionem in prædicato comparative ad suppositum subjecti, et sensus est, quod suppositum subjecti de novo fit Filius Dei, quod est falsum; secunda vero non exigit hoc ad sui veritatem, sed solum, quod in subjecto propositionis ratione formalis sit inferioritas, vel posterioritas ad prædestinationem, non ponendo mutabilitatem in prædicato.

XLVIII. Ad confirmationem jam patet ex dictis, quod licet prædestinatio Christi sit unus actus formaliter, virtualiter est multiplex, et una virtualitas potest præintelligi ad aliam, et prima formalitas facit subjectum Christum significatum per ly Deus factus est homo, et alia formalitas ipsum Christum prædestinat ut Filius; unde non negatur factio præsuppositiva, sed solum formalis, scilicet comparative ad prædicatum filius, respectu cujus conceditur prædestinatio.

XLIX. Tertio arguitur: Christus nec in quantum Deus, nec in quantum homo est prædestinatus Filius Dei naturalis; ergo absolute non est prædestinatus Christus, ut sit Filius Dei naturalis. Antecedens quoad primam partem patet, quia in quantum Deus non potest prædestinari, quia non est inferior, neque posterior ad prædestinationem. Quoad secundam probatur, secundum quod homo, vel in quantum homo non est Filius Dei; ergo secundum quod homo non prædestinatur esse Filius Dei. Probatur antecedens, quia hæc est falsa simpliciter: Christus secundum quod homo est Filius Dei, ut habet S. Thomas supra quæst. xvi,

art. xi. Consequentia vero probatur, quia hoc est unusquisque secundum aliquod tempus, quod est prædestinatus esse, eo quod prædestinatio Dei non fallitur, quod est dicere, quod id quod prædestinatur esse tale, debet esse tale, vel falleretur, et frustraretur prædestinatio.

L. Respondetur, quod S. Thomas hic articulo secundo, proponit hoc argumentum pro parte negativa, et respondet: «Ad primum dicendum, quod cum dicitur Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei, hæc determinatio secundum quod homo, potest ferri ad actum significatum per participium dupliciter; uno modo ex parte ejus, quod materialiter accidit sub prædestinatione, et hoc modo est falsa, est enim sensus, quod prædestinatum sit, ut Christus secundum quod homo sit Filius Dei, et in hoc sensu procedit objectio: alio modo potest referri ad ipsam propriam rationem actus, prout scilicet prædestinatio importat in sui ratione antecessionem, et effectum gratuitum, et hoc modo conveniat Christo ratione humanæ naturæ, ut dictum est (scilicet in corpore) et secundum hoc dicitur prædestinatus secundum quod homo.» Hæc S. Thomas.

LI. Quod si instes: Sed hæc solutio non solvit argumentum, imo potius ejus difficultatem vel auget, vel confirmat, quia difficultas consistit in hoc, quod hæc propositio: Christus in quantum homo est Filius Dei, absolute prolata, est simpliciter falsa; ergo etiam ista: Christus secundum quod homo est prædestinatus Filius Dei, quia quod prædestinatur, est, vel si non est, aut non prædestinatur, aut fallitur prædestinatio.

LII. Respondet Cabrera hic art. i, disp. i ad tertium, quod in illa: Christus secundum quod homo est Filius Dei, ly secundum sumitur re-

duplicative; in ista vero: Christus secundum quod homo est prædestinatus Filius, ly secundum sumitur specificative, propter quod ista est vera. Quæ solutio etiam ab aliis modernis adducitur.

LIII. Sed etiam hæc solutio adhuc non satisfacit, si amplius non addatur, quia de hoc quæritur ratio, quare in una sumitur reduplicative, et in alia specificative, utraque absolute prolata, quia in sensu specificativo etiam illa est vera: Christus secundum quod homo est Filius Dei, ut docet S. Thomas in illa quæstione xvi, art. xi in corpore, et quia sumitur reduplicative inquit, quod simpliciter est falsa; ergo etiam ista: Christus in quantum homo est prædestinatus Filius Dei, si specificative solum est vera, simpliciter, et absolute erit falsa, quia reduplicative est falsa.

LIV. Respondetur, quod verum est, quod Christus in quantum Deus non est prædestinatus Filius Dei propter rationes positas in argumento, ut diximus articulo præcedenti; ista vero est falsa: Christus in quantum homo est Filius Dei formaliter, ut diximus cum S. Thomas supra quæst. xvi, articulo xi citato (quamvis concedendum sit secundum fidem, quod Christus absolute sine reduplicatione est Filius Dei naturalis, ut diximus quæstione præcedenti, et etiam specificative, ut ibidem diximus) sed ista simpliciter est vera: Christus secundum quod homo est prædestinatus Filius Dei, non tamen taliter, quod ly secundum quod homo, faciat sensum, quod humana natura sit causa prædestinationis; in hoc enim sensu est falsa, quia in omnibus hominibus esset causa prædestinationis, sicut quia est causa risibilitatis, in omnibus hominibus causat risibilitatem. Alio modo taliter, quod solum sit ratio præbens capacitatem, ut ali-

quis sit susceptivus prædestinationis, vel capax ut prædestinetur, et quia ratione humanæ naturæ Persona Verbi subsistens in humana natura, vel Christus est capax prædestinationis, quia solum ratione humanæ naturæ reperitur antecessio in prædestinatione, et ratio gratuiti, ideo ratione humanæ naturæ convenit Christo prædestinari, et reduplicando in hoc sensu est vera simpliciter: Christus in quantum homo est prædestinatus Filius Dei. Quæ est doctrina S. Thomæ hic art. ii ad secundum, et in corpore.

LV. Ex qua manet explicata solutio allata ad primum. In qua ponitur disparitas inter has duas propositiones, quia in una non ponitur participium prædestinatus, et in alia ponitur, et ideo reduplicatio in una est falsa, et in alia est vera, quia sensus est, quando non ponitur participium prædestinatus, quod a parte rei humana natura est ratio quare conveniat supposito Christi filiatio, quæ illi naturaliter convenit, et ab æterno, et ante sumptionem humanæ naturæ, et ideo est falsa: quando vero ponitur, facit sensum, quod ratio humanæ naturæ convenit illi supposito per gratiam unionis esse Filium Dei, et hæc est vera, quod optime explicuit Cajetanus hic articulo secundo, circa solutionem ad primum.

LVI. Itaque dupliciter potest hoc prædicatum filius Dei convenire supposito Christi, vel naturaliter, quia illud suppositum a natura sua, et ex vi generationis æternæ est Filius Dei, et si hujus convenientiæ ponatur humana natura tamquam ratio conveniendi, est falsa; et hoc ponitur in prima propositione, solum quia non ponitur participium prædestinatus, quod appellat, et ablata limitatione manet sensus absolutus: alio modo potest convenire per gra-

tiam, et ad hoc est necessarium, quod illi supposito superaddatur aliqua ratio, ratione cujus possit fieri gratia, et hæc est humana natura, et hæc convenientia per gratiam explicatur per participium prædestinatus, quia sensus est, quod per gratiam prædestinationis, Christus in quantum homo est Filius Dei, et hoc est verum, quia ratione humanæ naturæ solius est capax illud suppositum gratiæ prædestinationis, et gratiæ unionis, et hoc quod prædestinatur ita est a parte rei, sed non explicatur per illam propositionem: Christus in quantum homo est Filius Dei, quia nulla particula ponitur, quæ determinet ad gratiam unionis. Si autem poneretur, dicendo: Christus in quantum homo per gratiam unionis est Filius Dei, sufficienter, et bene explicatur, in quo caute Cajetanus.

LVII. Et similiter illa est vera: Christus in quantum iste homo est Filius Dei, ut habet S. Thomas quæstione xvi citata, artic. xi, quia illa particula iste demonstrat suppositum super quod etiam cadit reduplicatio, et consequenter ista est vera: Christus secundum quod iste homo est prædestinatus Filius Dei, et etiam hæc est vera: Christus est prædestinatus Filius Dei, et etiam ista: Homo est prædestinatus Filius Dei, quia de uno supposito naturæ humanæ verificatur.

LVIII. Quarto arguitur: Si Christus in quantum homo est prædestinatus Filius Dei, sequitur quod Filius Dei sit prædestinatus Filius Dei absolute. Patet sequela: Per communicationem idiomatum quidquid prædicatur de Christo in quantum homo, prædicatur de Deo, sicut e contra, et ideo istæ sunt veræ: Deus est natus, mortuus, crucifixus, etc. et istæ: Homo est Filius Dei naturalis, est omnipotens, vel unigenitus.

LIX. Respondetur, quod hoc argumentum posuit S. Thomas in iii, distinct. vii, quæst. iii, art. ii, quæstiuncula ii, argumento ii, et ad Annibaldum, dist. x, quæstione unica, articulo iv, in secundo loco, et respondet: « Dicendum, quod illa, quæ prædicantur de Filio Dei in quantum est homo, non habent aliquam repugnantiam ad Filium Dei, et ideo non est similis ratio. » Hoc est, quod quando aliquid prædicatur de Christo in quantum homo, et non habet repugnantiam ad Filium Dei, possunt de illo prædicari, et hoc modo sunt prædicata posita. Non tamen est similis ratio de prædestinatione, quia prædestinatio involvit repugnantiam, quia involvit inferioritatem, et posterioritatem, quod repugnat Filio Dei secundum se, sicut etiam quod sit creatura, ut diximus supra quæstione xvi, articulo viii et x. Et esse mutabilem, ut diximus ibidem articulo iv, conclusionem iv, et eodem modo prædicata divina, quæ repugnant homini non prædicantur de illo in quantum homo, sicut esse a se, vel esse ens per essentiam, propter reduplicacionem, ut diximus ibidem conclusionem prima.

LX. Ultimo, arguitur fundamento potissimo contrariæ sententiæ: Inter Christum, et Filium Dei nulla est antecessio, nec distinctio requisita ad prædestinationem, quia eo ipso quod dicitur Christus ex parte subjecti, dicitur Filius Dei, et nulla gratia potest intervenire; ergo nec potest verificari prædestinatio. Patet consequentia, quia ut verificetur debet supponere subjectum prius saltem in apprehensione divina, quam prædicatum, et cui per prædestinationem conferatur ex gratia ut sit Filius Dei, et non debet prædicatum ipsum includi in subjecto, et esse illi intrinsicum, et naturale; cum ergo hoc subjectum homo

non sumptum in communi, nec suppositione simplici, sed personali, et determinata, ut idem sit, quod hic homo, non præcedat, nec præsupponatur ad filiationem naturalem, sed eam includat, et non est illi gratia esse Filium Dei, sed naturale, et proprium, quod patet quoniam homo, et hic homo includit suppositum Christi; illud autem suppositum, suppositum divinum est, et non est aliud suppositum, quam suppositum Verbi; ergo illud suppositum non præcedit filiationem, nec eam habet ex prædestinationis dono.

LXI. Hoc argumentum adducit Lorca hic membro ii, numero xv, et de illo inquit, quod suam sententiam Durandus probat difficillimo argumento, quod hactenus ab his, qui aliam sententiam tenent solum non est, et Asturicensis pagina 960 inquit, cujus exactam solutionem ut libere dicam, nec legi, nec audivi. Sed ut et nos fateamur verum, et dicamus quod sentimus, hoc argumentum tam difficile non fuit excogitatum a Durando, quia ante Durandum pluries propositum fuit a S. Thoma et toties exacte solutum; sed Durandus accipiens argumentum ex sancto doctore noluit solutionem recipere, et est eadem, quam Asturicensis argumentum solvit, ut videbitur articulo sequenti, et sic potuit illam in S. Thoma legere, priusquam ipse excogitaret, fere eisdem terminis traditam.

LXII. Quod ut evidentius fiat, notandum est, quod in hoc argumento duæ conditiones prædestinationis tanguntur, in quibus tota ejus vis fundatur. Prima est, præcedentia secundum rationem subjecti, quod prædestinatur respectu termini ad quem prædestinatur: secunda, quod terminus conveniat subjecto ex gratia, et ex utraque potest formari argumentum divisive, vel copulati-

ve. Divisive S. Thomas illud proposuit primo de præcedentia hic articulo i, argum. iii, sic: « Sicut illud quod est factum non semper fuit, ita illud quod est prædestinatum, eo quod prædestinatio antecessionem quamdam importat; sed Christus semper fuit Deus, et Filius Dei; ergo non debet dici, quod Christus sit prædestinatus Filius Dei. » Omissa tamen paritate de participio factus, quæ quia in alio argumento allata est, et ad hoc intentum non facit omittitur. Et in iii, distinct. vii, quæst. iii, artic. i, in argumento primo proponit sic: « Quod semper fuit, non prædestinatur, quia prædestinatio importat antecessionem; sed homo Christus supponit suppositum æternum, quod semper fuit Filius Dei; ergo non potest dici, quod sit prædestinatus Filius Dei. » Omissa etiam paritate de ly factus ulterius progredi libet.

LXIII. Denique ibidem articulo quinto sic proponit: Prædestinatio etiam secundum omnem importat directionem in finem; sed non potest aliquid dirigi in finem nisi (ad minus secundum intellectum) sit ante finem illum; cum igitur etiam secundum intellectum Christus non prius intelligatur homo, quam Filius Dei, videtur quod ille homo non possit dici prædestinatus esse Filius Dei. » Ecce in triplici loco propositum argumentum eisdem terminis, quibus adducitur a Lorca ex Durando, quantum ad hanc conditionem de præcedentia.

LXIV. Quantum ad secundam de gratia, quæ fit subjecto, sic proponit S. Thomas hic art. i, argumento ii: « Non potest dici, quod Christus est prædestinatus ratione personæ, quia illa persona non habet ex gratia, quod sit Filius Dei, sed ex natura; prædestinatio autem est eorum, quæ sunt ex gratia; ergo Christus non est prædestinatus Filius

Dei : » et in III, distinct. VII, quæst. III, artic. I, in argumento II, sic : « Hæc est falsa : Divina Persona, quæ est suppositum æternum est prædestinata esse Filius Dei, quia naturaliter, et ab æterno hoc habet ; ergo hæc est falsa : hic homo est prædestinatus Filius Dei : » et præmiserat probationem : « Quia homo non importat, nisi humanam naturam, et suppositum æternum. » Ecce in duplici loco propositum hoc argumentum quantum ad hanc conditionem de gratia, et eisdem terminis quibus ab aliis allatum est.

LXV. Solutio autem ponitur in eisdem locis, verbis allatis pro conclusione, sed ut clarius applicetur argumento, aliqua ex illis repetenda sunt. In primis de præcedentia hic articulo primo ad tertium inquit : « Dicendum, quod illa antecessio, quam importat hoc participium prædestinatus, non refertur ad personam secundum seipsam, sed ratione humanæ naturæ, quia scilicet persona illa, etsi ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in humana natura fuerit Filius Dei : » et inferius ibidem : « Absolute non convenit Personæ Christi, quod inceperit esse Filius Dei, convenit autem ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, ut in natura humana existens, (quia scilicet hoc aliquando incepit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei) ideo hæc est vera : Christus est prædestinatus Filius Dei. »

LXVI. Et in III, dist. VII, quæst. III, artic. I ad primum : « Dicendum, quod diversa consideratio nihil variat eorum, quæ sunt in re ; variat autem ea, quæ pertinent ad actum animæ. Prædestinatus autem est participium, quod imponitur ab actu animæ, scilicet prævidere, vel præordinare, et ideo quamvis sup-

posito æterno non conveniat secundum se prædestinari esse Filium Dei, convenit tamen sibi secundum quod est humanæ naturæ suppositum : » et denique hoc recopilavit ibidem ad quintum : « Dicendum, quod licet homo non præintelligatur ad Filium Dei ratione suppositi, præintelligitur ratione naturæ. »

LXVII. Ex quibus omnibus patet solutio ad argumentum, quæ consistit in hac distinctione : Non est antecessio inter suppositum Christi, et terminum, scilicet Filium Dei, distinguo ; si sumatur suppositum Christi secundum se, et ratione sui, concedo ; si vero sumatur in quantum suppositum humanum, vel in quantum homo, nego. Prius enim præintelligitur, quod Deus fiat homo, quam quod homo fiat Filius Dei, et sicut homo incipit esse Filius Dei in tempore, etiam suppositum divinum prout intelligitur existens, vel subsistens in natura humana, incepit esse Filius Dei, et prout sic præintelligitur prioritate rationis ad esse Filius Dei. Quod clare indicavit S. Thomas ultra verba allata hic articulo primo ad secundum, ubi inquit : « Relinquitur quod prædestinatio tribuatur Personæ Christi, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in divina natura. Unde cum prædixisset Apostolus : Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, subjunxit : Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, ut daret intelligere, quod secundum hoc, quod est factus ex semine David secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in virtute, » ubi ponit clare præcedentiam ex ipsis verbis Apostoli, quod præintelligitur factus secundum carnem, et secundum hoc intelligatur prædestinatus Filius Dei.

LXVIII. Et non minus evidenter docuit in III, distinct. X, quæst. III, quæstiuncula prima ad primum,

ubi inquit : « Dicendum, quod prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam unionem, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad unionem, » ubi expendendum unionem esse primum effectum prædestinationis eo ipso quod dicit unionem effectam, intelligitur Christus, et hoc primo, et ad hoc sequitur alius effectus, scilicet filiatio. Manifeste ergo S. Thomas posuit præcedentiam inter Christum, et filiationem saltem secundum rationem ; quamvis nullus alius locus esset, iste sufficeret ad evidentiam menti sancti doctoris.

LXIX. Ex quo constat quomodo falso Durandus in III, dist. VII, quæst. III, imponat S. Thomas quod ex vi unionis solum sequatur, quod hæc propositio sit vera : Christus est Filius Dei, quia S. Thomas ut patet in his verbis non de propositione, sed de ejus significato loquitur, utpote non nominalis, sed realis ; et propositio est vera, res ita se habet, quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, et sic S. Thomas non posuit solum propositionem, sed etiam ejus objectum sequi ex vi unionis.

LXX. Quoad secundam conditionem eadem solutio adducitur a S. Thomas, applicata tamen ad conditionem de gratia hic articulo I ad secundum : « Quamvis sit naturale illi personæ secundum se consideratæ quod sit Filius Dei, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam ; secundum quam hoc sibi convenit per gratiam unionis : » et in III, dist. VII, quæstione unica, articulo I ad secundum : « Dicendum, quod prædestinatio non est personæ secundum se, sed personæ ratione naturæ assumptæ. » Solutio ergo est, quod suppositum Christi secundum se non habet ex gratia, quod sit Filius Dei, sed ratione humanæ

naturæ, cui fit gratia : etiam suppositum prout in natura humana, vel prout hic homo ex gratia est filius, quia non solum est Filius Dei in natura divina, sed in natura humana, ita non solum est verum, quod ut Deus est Filius Dei, sed ut homo est Filius Dei, et hic involvitur gratia ratione humanitatis, ratione cujus ex gratia est homo, et ratione hujus est subjectum prædestinationis.

LXXI. Hæc solutio vim argumenti totaliter evacuat, et nos illam breviter adduximus I part. quæst. XXIII, disp. VII, articulo I numero VIII, quantum sufficiebat ad distinguendam prædestinationem Christi a nostra, plenior tamen explicationem, ut ibidem diximus ad istum, tamquam ad proprium locum reservavimus. Quia tamen moderni aliis variis viis minus veris, et infirmis hoc argumentum conantur solvere, relinquendo hanc S. Thomæ legitimam solutionem, ideo de hac differentia examinanda instituitur articulus sequens, ubi amplius explicabitur, et si quæ sunt argumenta contra illam dissolventur.

ARTICULUS III.

Quæ sit ratio subjecti, et termini in prædestinatione Christi ad esse Filium Dei ?

I. In hoc articulo jam est dissensio solum inter modernos, qui articulo præcedenti conveniunt in secunda sententia, quod prædestinatio Christi ad filiationem sit propria, et tenentur solvere argumentum ultimum, et variis viis solutionem excogitarunt, quarum probabilitas in hoc articulo examinanda est. Vis igitur argumenti consistebat in hoc quod quia esse Filium non conve-